

**Bryn Mawr College
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr
College**

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1840

Quaestionum Platoniarum specimen alterum
commentationem tertiam continens in libr. De rep.
II, 20. III, 3. IV, 21 V, 8

August Gotthilf Gernhard

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Follow this and additional works at: <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>



Part of the [Ancient Philosophy Commons](#)

Custom Citation

Gernhard, August Gotthilf. 1840. *Quaestionum Platoniarum specimen alterum commentationem tertiam continens in libr. De rep. II, 20. III, 3. IV, 21 V, 8*. Weimar: Vimariae.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/24>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

||

**PAEDAGOGII REGII
ILFELDENSIS
EXAMINA SOLEMNIA**

diebus XXIV et XXV Martii MDCCCXXXVI

celebranda.

indicit

ERNESTUS WIEDASCH

Director et Professor.

Praemissa est de Platonis dicendi genere disputatio.

HANNOVERAE MDCCCXXXVI.

TYPIS LAMMINGE R - ROSENBUSCHIANIS.

De Platonis dicendi genere.

Si verum est, quod nescio an paucis probatum fuerit, philosophiam et poesin ex eodem manare fonte nec nisi in diversas inde diffluere partes eodemque semper recurrere: inter omnes sane illustres philosophos neminem facile reperies, qui aut locupletior hujus rei extiterit testis, aut felicior utriusque artis effector evaserit, quam Plato. Etenim sive argumenti, quod Platonicis libris subjectum est, descriptio ac dispositio, sive ejusdem copia, subtilitas, sublimitas spectatur, sive elocutionis simplicitas et ubertas, elegantia et granditas comparatur: tanta est harum omnium rerum singularis quaedam ac mirifica vis et efficacia, ut mojorne philosophus an poeta fuerit, dici vix queat.

Incredibilis profecto eminentia ingenii amplitudo et universitas, quae quo facilius capiat animos, eo difficilior est animo concipienda. Quodque nescio cui apud Ciceronem (Tusc. Quaest. I. 12, 24.) in legendo Phaedone accidisse fertur, ut, quum legeret, assentiretur, quum posuisset librum et secum ipse de immortalitate animorum coepisset cogitare, assensio omnis illa elaboretur: id multi nunc etiam in omnium Platonicorum librorum lectione experti esse videntur. Etenim quum nemo fere sit, qui non aliqua sublimitatis illius Platonicae vi et veritate commoveatur, tamen, ubi quid illud sit persequitur, effugit omnis illa plerumque et mentis intelligentiam et animi consensionem. Inest enim divinum quiddam, quo qui perfusi sunt, intueri quidem cum admiratione, comprehendere cogitatione non audent.

Sed hoc quomodo per omnes partes subtilius demonstrandum sit, quum uberiorum amplioremque requirat disputationem, quam quae pro hacce scribendi opportunitate concessa sit: id solummodo instituendum arbitrati sumus, ut ad singula quaedam accederemus, quodque ad illam philosophiae cum poesi affinitatem illustrandam firmandamque plurimum valere videretur, de *Platonis dicendi genere* brevius pro exiguis hujus scriptio[n]is spatiis disserere conaremur. Constat enim, eruditissimorum hominum et veterum et recentiorum de Platonica dictione judicia in tam diversas abire partes, ut, cujus laudis alii praedicatores, ejusdem alii existenter obrectatores, neque omnium certa stet de summa re sententia. Juvare igitur visum est, rem integrum sub judicium vocare eamque potius insistere viam, qua ad certam aliquam orationis Platonicae constituendam rationem pervenientum sit.

Atque in ipsa disserendi continuatione id potissimum propositum nobis fuit, ut cum uniuscujusque orationis subtilius judicandae atque aestimandae fundamentum qualemque substrueretur, tum maxime Platonicae rectius intelligendae et expedienda ratio iniretur. Itaque rem bipartito suscepimus tractandam, ut primum de *ipso Platonis dicendi genere quale* esset disputaremus, deinde in *fontes*, ex quibus fluxisse illud videretur, inquireremus.

Omnis dicendi ratio, quatenus characterem quandam habet, ea esse potest, quae aut communis sit plurimorum ejusdem aetatis et studii scriptorum proprietas, aut unius cujusdam indoles, qui, quae omnibus sui generis communia sunt, ea singulari quadam ingenii vi et alacritate comparavit peculiariterque conformavit.

Platonem igitur eam assecutum esse dicendi proprietatem, quae cui conferenda sit, nihil habeat simile, nemo qui vel exignam cum summo auctore contraxerit familiaritatem, erit qui infitietur. Jam vero ne quis exspectet, nos singula quaeque orationis pigmenta et ornamenta ex rhetorum ληγόθοις hausta in numerum relatuos, quae qui non intellexerint, tabulam pictam inspiciant. Ex his nihil est ad nostram rem aut salutis petendum, aut luminis accendentium. Res summatis expedienda esse videtur.

Ac primum quidem tritum hoc est et uno omnium consensu comprobatum, Atticum illud dicendi genus, quod tot tantisque omnium temporum celebratum est laudibus et habitum in optimae cujusque notae numero, a Platone non excultum solum, verum ad summum perfectionis fastigium esse evectum. Plato non magnus quidem et germanus est Atticus, sed summus exstitit et unus instar omnium. Et est nimirum princeps ille, ad cuius exemplar celeberrimi quique in dicendo magistri sese composuerunt, fons quasi, unde Atticorum iste chorus genus nomenque duxerunt. Est enim in omnibus tribus eloquentiae dotibus, perspicuitate, venustate, gravitate egregius et prorsus admirabilis: est cum facilitate urbanus, cum gratia venustus, cum sale festivus: habet omnia et verborum et sententiarum lumen et ornamenta, omnes item orationis lepores, elegantias, veneres, more vere Attico non condimenti instar adspersas, sed per totum cujusque libri tenorem aequabiliter fusas: in omni dicendi genere versatissimus, sedate modo placideque loquens, modo robustius et incitatius incedens, gravissimus modo et amplissimus; simplicitatem cum varietate, mediocritatem cum subtilitate, copiam cum magnificientia mirifice concilians. Quidquid Atticum, id Platonicum dixeris: neque ullum est Atticarum elegantiarum genus, cuius in Platonis scriptis non plenam invenias effigiem atque exemplar expressum. At haec omnia quamquam magna sunt et in justa talis oratoris aestimatione haud exigui momenti, tamen, quum in hocce dicendi genere alii iisque gravissimi scriptores summa cum laude excelluerint, non eam explet, quam quaerimus, Platonicam in dicendo proprietatem. Longe ea alia est, etsi quaenam sit ad explicandum difficillima res. Videamus tamen!

Platonis dictio altius quiddam spirat, quod, quum omnem apud poetas fere quaerant altitudinem, *poeticum* dicere plerumque solent, quodque, quo magis alienum est a prosaicis scriptoribus, eo majorem habet apud philosophum, utpote sobrietatis studiosum, aut offensionem aut admirationem. Jam vero ante omnia tenendum id est, eam quam volumus dicendi formam non in singulis quibusdam aut ornamentis aut virtutibus quaerendam esse, sed in uno quodam continuo orationis habitu et cultu, neque illam fucato isto tinctam nitore, quo quae oblita sunt, frigent omnia, sed viribus valere, vigere nativo colore sanoque calore. Est igitur illa sublimitas neque in singulis solum ponenda vocibus, formis, verbis obsoletis et peregrinis iisque, quae antiquitatem¹⁾ quandam redolent, novatis, translatis,²⁾ neque in quadam faciendorum jungendorumque verborum licentia, neque in singulis solum dicendi figuris, inversionibus, translationibus, imaginibus, similibus, metaphoris: sed est his aequae omnibus distincta atque ornata oratio et aequabili omnium harum rerum moderatione ita temperata, ut ex altiore quodam et concitatiori ingenii spiritu effusa videatur. Neque poeticum illud in iis solum viget dialogis, quorum argumentum ipsi poesi proprius et convenientius videatur, in dramaticis et mimicis, qui personarum actionisque varietate ac dispositione tanquam verisimilitudine excellunt, sed etiam in iis, qui cum materiae ratione tum argumenti tractatione formaeque externae inventione et descriptione longe a poetico ingenio abhorrent. Infitiandum quidem non est, poetica hanc rationem in dramaticis et mimicis elucescere magis et cohaerere maxime cum externa dialogorum forma, multum tamen ipsa differt ab ista splendida ornamentorum ubertate. Quid? quanta sit poëtici illius coloris perspicuitas et veritas, ejus rei est ab ipso Cicerone petenda auctoritas, apud quem legitur: »Itaque video, visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatus feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.«³⁾

At haec fortasse rhetorice magis, quam vere! At est revera Platonica illa eloquentio admirabili quodam decori pulchrique flore distincta numerisque et aperte et dissimulanter conclusis tam varie ubivis adstricta, ut, sive doceat, sive de-

1) Quorum plurima habemus congesta in *Timaei Lex.* voc. Platon. Cf. *Dionys. Halic.* de Compos. p. 210 ed. Goeller. 2) Notus est, ut vulgares mittamus translationes, usus verborum ἐθέλειν, ποιεῖν, πύσχειν, τολμᾶν, φεύγειν, διώκειν, ὑπερχωρεῖν, προσένειται, προσελθεῖν, δέξασθαι, ὑπομένειν aliorum, quae constanter fere cum ad res inanimatas, tum ad abstractas rerum species a Platone transferuntur. 3) *Cic. orat. 20.* Imo hujus rei gravitas a summa Aristotelis petenda est auctoritate, qui quidem in libro de Art. poet. III. Socraticos dialogos in numerum poematum metricorum referre videtur. Vide ipsum locum, quem, qui maxime hic valeat, plenum paullo infra adscribendum curavimus.

lectet, sive leniter et sedate fluat, sive fortius incitatiusque feratur, eadem semper teneat alliciatque animos venustatis gratiarumque dulcedine. Ac similis fere est haec altior ejus indoles aurae veluti coelesti, quae cum per totum cujusque scriptio-nis ambitum, tum per omnes singulasque librorum partes tam dulce leniterque spi-rat, ut in legendo, quamvis cum pedestris orationis scriptore verseris, poetae tam-en quadam communione ac praesentia tactus tibi videaris atque interno quodam ac fere divino abripiaris afflatu.¹⁾ Atque talis quidem poetici spiritus ratio Nostro tam propria est et perpetua, ut, quidquid ejusdem auctoris legeris operum, cum in ipsa cogitationum sententiarumque sublimitate, tum vero in hac maxime elocu-tionis flore et odore Platonicum illud facile sapias.

Habemus igitur, ut ea quae de hac singulari ac nativa Platonis elocutione disseruimus, breviter complectamur, Platonem et *pedestris orationis* scriptorem eundemque *poeticae dictionis* magistrum, fitque nobis inde novum plane dicendi genus, quod poeticam cum pedestri oratione ita conciliat, ut una ex utraque eva-dat oratio. Ergo floret apud Nostrum eumque philosophum mixtum istud atque ambiguum dicendi genus, quod ex poetica et prosaica dictione conflatum *poeticum-prosaicum* dici solet, quodque apud posterioris aetatis scriptores non injustam su-biit vituperationem? Et profecto hac dicendi proprietate haud pauci viri iique doctissimi et veterum et recentiorum temporum vehementer exagitati sunt, cum et quomodo pedestris cum poetica dictione esset copulanda neque viderent neque concederent, et utriusque dictionis conjunctionem, utpote vitiosam et perspicuitati infestam, modo obscuritatem dictitarent contrahere, modo de industria factam cre-derent, sive ostentationis causa, sive suspecti cujusdam consilii, ut quae occulta esse vellet Plato, ea ne palam simpliciterque dicerentur.¹⁾ Itaque tanta semper fuit inter omnes fere Platonis aestimatores dissensio, ut de summa re disceptarent neque deessent, qui, licet ingenii magnitudinem vimque orationis in tanto philoso-pho suspicentes, tamen, quum suam quisque artis oratoriae scientiam et doctrinam in illum, quem legebant, traduxissent, multis in locis ejus dictione gravissime of-fenderentur ac tot fere vitia, quot virtutes dicendi in ea deprehendisse sibi vide-rentur. At quid isti sibi velint, aut quomodo talem suam sententiam tali ingenio convenire putent, equidem me assequi haud satis posse ingenue profiteor. Qui enim, ut hoc unum memoremus, idem ille, cui tanta tamque praeclara prompta es-sent et parata, ex summa venustate ad istam dicendi vitiositatem recidisse putan-dus est? Qui fieri poterat, ut ille omnium rhetorum exagitator, qui sophistas, inani quodam et dialecticae et oratoriae artis tumore inflatos, tantopere carperet, qui oratores eosque non pessimae notae, qui Lysiam, Tisiam, Thrasyymachum, alias²⁾ ob neglectam in dicendo simplicitatem et concinnitatem, ob frequentem

1) cf. Krug's Gesch. der Phil. alter Zeit. S. 204 sc. 2) *Plat. Phaedr.* p. 267—270. — *Protag.* 315. 318. 337. A. sqq. 341. A. sqq. *Hipp. maj.* 291. *Cratyl.* 384. — *Gorg.* p. 461. D. 462. D.

poeticorum usum flosculorum tam acerbo perfricaret sale, qui poetas ipsos ob falsam fucatamque ornamentorum abundantiam gravissime castigaret: qui igitur fieri poterat, ut idem ille omnis rhetoricae vanitatis exagitator ad eandem falsi ornatus captationem delaberetur, quam in aliis tantopere perstrinxerat, et quorum vehementissimam contraxerat invidiam, iis satis amplam suas ulciscendi injurias praeberet materiam? Ac ne ii quidem, qui assiduo grandis illius philosophi studio confirmati plus sibi vidiisse arbitrarentur, cum aut remissius, aut sublimius ei dicendi genus, aut utrumque tribuerent, rem satis enucleasse videntur. Nimis omnes haeserunt in decantatis illis tribus dicendi generibus, a grammaticorum institutione profectis. Cavendum igitur nobis sedulo est, ne in eosdem inducamur errores, atque eo magis id instituendum, ut longe aliam ingrediamur viam, qua singularem illam ac fere unicam apud Platonem dicendi formam, quam *poeticam* plerumque vocant, paulo altius repetamus quaeque revera sit illustremus.

Ut rectius de oratione Platonica fiat judicium, amplior ante omnia ac subtilior orationis notio constituenda est. Et hic quidem nobis locus esse videtur, ubi errorem longe lateque diffusum discutiendum putemus, eum scilicet, quo qui obstricti sunt censem, *solutam* et *vincitam*, sive pedestrem et poeticam orationem, *certis quibusdam ac definitis circumscribendam esse terminis*, quorum spatia transgredi neutra debeat: in una enim mentem, in altera imaginandi facultatem ita principatum tenere, ut neutri alterius fines superare salva integritate liceat. Nae tyrannidem violentissimam! At peropportune factam scilicet a sapientioribus! Quasi vero et versuum modi et verborum figurae poesin perficiant, eorumque defectus orationem; aut sana mente oratio contineatur, imaginandi insania poesis!

Dictio aut poetica, quam vocant, aut pedestris, sejuncta a continua orationis serie, revera nulla est, neque extitit nisi e grammaticorum commentis. Oratio quaeque manat e mente humana ejusque integerrima est et vividissima imago: cumque vires animi non ita vigeant, ut alia ab alia sejuncta sit et suam quaeque quasi habeat provinciam, fieri non potest, ut in fingenda et componenda oratione discedant; imo una omnes uno fere impetu vim suam exserant necesse est. Inter orationem eam, quae arte valet — et de ea quidem hic agitur — et eam, quae caret arte, hoc interest, quod summo illa omnium ingenii virium vigore et consensu est confecta. Oratio igitur quaelibet ad artis quandam speciem conformata, imo quocunque artis opus commune quiddam habet, quo ipsa artis ratio perficitur: et haec est *pulcritudo*,¹⁾ per se spectata, quae apta quadam et concinna partium omnium ad totius cuiusdam speciem ac formam compositarum continetur moderatione. Arti

465. D. 467. B. cf. Wernsdorf ad Himer. p. 461 etc. p. 823 etc. et imprimis Spengel de Artt. Scriptorr. inde a p. 30 sqq.

1) Ciceroni pulcritudo est *apta partium convenientia ac compositio*: *Offic.* I, 28, 5. cf. *Tusc. Disp.* IV, 13, 31; Plotino (Ennead. I. 6. p. 50. D.) dicitur συμετρία τῶν μερῶν πρὸς ἄλληλα καὶ τὸ οὖν.

autem, vere sic dictae, libertas procreandi, gignendi, fingendi, omnino conferendi colligendique pro fine suo ac consilio quidquid libet concessa est: aliter ars ipsa non esset. Cum vero omnis oratio sive pedestris sive poetica arte confici queat et debeat, coercenda altera alterius limitibus nullo modo est, et utriusque, quippe artis participi, omne eloquendi genus tantopere necesse est concedi, ut alterius subsidiis libere utatur et quidquid velit in suum inde convertat usum¹⁾). Poeta igitur et orator eadem gaudent dicendi licentia neque habent, quo hanc ob rem differant, neque, quid utriusque liceat, certe ac definite est praecipiendum, nisi quid sibimet ipse prescripserit. Dictio et pedestris et poetica hoc modo definienda certis quibusdam terminis non est. Vide quam vaga sit *vincita illa et soluta*, quam vocant, oratio.

Sed quaevis oratio, artis particeps, pulcerrima esse vult: esse igitur, cum pulcritudo, vere sic dicta, perfecta sit et absoluta neque nisi una eademque semper appareat, altera altera oratione pulcior non potest. Pulcritudo autem quoniam apta quadam et concinna partium omnium ad totius cuiusdam speciem ac formam compositarum continetur moderatione: extra hanc singularum partium conjunctionem et continuationem definiri certis terminis cum in universum non potest, quid poetam deceat, quid oratorem — nisi forte universa dicendi genera cogitatione praecipienda sunt — tum omnium minime ex singulis verbis, formis, figuris, dictiōnibus aliisque, quorum usus ab arte datur uberrimus, quid utriusque pulcrum sit, metiendum est et pendendum. Asseverant quidem, poetam valere ea loquendi forma, quae imaginum veritate et frequentia illustris est. At, quaequo, quid hoc? Nonne unaquaque lingua iis solummodo continetur, quae ad rerum imagines expressa sunt ab iisque translata? Patet inde, quid absoni ab iis dicatur, qui contendant, hoc illudve pulcrum esse aut non, propterea quod poetae aut frequentatum sit aut insolitum. Vox quaedam vel formula, quam vocant, poetica nihil est aliud, nisi quod in certo quodam orationis nexu pulcre dictum est, qui si tollitur, indecori facile illa reprehensionem potest subire. Neque imaginum similiūmque ornatus, neque versuum neque numerorum modorumque concentus, ubi adest, iccirco poetam efficit orationem, neque, ubi abest, pedestrem relinquit.²⁾ Quemadmodum

1) In eandem fere redit sententiam Cicero, quamquam leviter, ut assolet, rem perstringens de *Orat.* I, 16: „Est enim finitus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem „licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par: in hoc quidem certe „prope idem, nullis ut terminis circumscrivat aut definit jus suum, quominus ei liceat eadem illa „facultate et copia vagari, qua velit.

2) Similia fere, quae proferuntur ab Aristotele in libro de arte Poet. c. III. (Tyrwhitt): η δὲ ἐποπτικὰ μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς η τοῖς μέτροις καὶ τούτοις εἴτε μηδῆσα μετ' ἀλλήλων, εἴτι εἴτι γένει χρωμένη τῶν μέτρων τυγχάνοντα μέχρι τοῦ νῦν. Οὐδέποτε γάρ ἂν ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοὺς Σώφρονος καὶ Σενάρχου μίμους καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους· οὐδὲ ἐν τις διὰ τοιμέτρων η ἐλεγείων η

nihil per se neque pulcrum neque turpe est, idque utrum sit necne, non nisi ex ea, qua colligatum est, serie et continuatione perspici plane potest: ita omnis elocutio, per se spectata, neque decora, neque indecora, neque laudanda neque vituperanda est ideoque neque poetae neque oratori peculiariter assignanda. Id solum spectandum semper est, quomodo quidque sit et ubi dictum. Itaque dictio et pedestris et poetica tantum inter se habent affinitatis et necessitudinis, ut, quum altera sine altera neque vigere, neque carere altera alterius et praestantia et subsidio queat, ita altera alteri neque praestare dicenda sit neque antecellere, sed utraque *una* semper evadat eaque *pulcra* atque in suo genere *perfecta*. Utriusque dictionis diversitas non nisi diversitate earum, quae subjectae sunt, rerum efficitur et diversitate ejus, quo quis scribit, consilii: eloquendi campus, in quo exsultet oratio, infinitus est. Cave igitur, ne, quod fieri vix poterit, quid poetae, quid scriptori dicendum sit, imperiose praecipias et certa quasi quaedam dicendi genera fingendo utriusque dictionem tanquam eam, quae se invicem a suis finibus excludat atque expellat, temere constituas.

Sed ad Platonem revertamur, cui si qui singula quaedam dicendi genera, sive tenue illud, sive de medio sumtum, sive grande illud et magnificum, tribuenda putant, quam vehementer errant, satis superque patebit. Etenim si recte se habent,

τὸν ἄλλων τινῶν τῶν τοιούτοι ποιοῦτο τὴν μίμησιν. Πλὴν οἱ ἀνθρώποι γε σονάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν τοὺς μὲν ἐλεγειοποιοὺς, τοὺς δὲ ἐποποιὸς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς τοὺς κατὰ μίμησιν ποιητάς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες. καὶ γὰρ ἀν iατρικὸν ἡ φυσικόν τι διὰ τῶν μέτρων ἐκφέρουσιν, οὐτα καλεῖν εἰώθασιν. Οὐδέν δὲ κοινόν ἔσιν Ὄμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον· δι’ ὃ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἡ ποιητὴν· Ὄμοίως δὲ, καὶν εἴ τις ἄπαντα τὰ μέτρα μιγγνύων ποιοῦτο τὴν μίμησιν, καθάπερ Χαιρόμων ἐποίησε Κένταυρον, μικτὴν φανωδίαν, ἐξ ἀπάντων τὸν μέτρων οὐκ ἥδη καὶ ποιητὴν προσαγορευτέον. Quae Tyrwhitt ad hunc locum disputat, nonnullos perperam ex his verbis (τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις) conjectisse, „poema epicum secundum mentem Aristotelis in prosa condi posse“ mihi quidem prorsus non probantur. Neque valet locus ille, quem idem vir doctus ex *Athenaeo XI.* p. 505. (cui addendus erat *Diog. Laert.* III, 48.) adtulit, quo effici vult, τοὺς Σωκρατ. λόγους non de omnibus Socraticis dialogis intelligi posse, sed speciatim de illis, quos Alexamenus Teius scripserit. Nam quis hujus dialogos metrice scriptos fuisse probabit, cum ne de Sophronis quidem mimis satis id constet? cf. *Herm. ad Arist. Poet.* pag. 93. Quae si mens fuisse Aristotelis, neque ita nude commemorasset Socraticos dialogos eosque articulo τοὺς adjecto tanquam notos illos designasset, neque quae sequuntur addidisset. Imo satis aperte hoc demonstrat Aristoteles, omnem poesis naturam et indolem in *imitatione* positam esse, atque hanc ob causam ne *metro* quidem, ait, quamvis a plerisque ad poesin requiratur, poesin effici: nullum enim haberemus commune nomen, quo appellare possemus Sophronis et Xenarchi mimos et Socraticos dialogos: neque si quis omnia metra permiscendo imitationem fecerit, propterea tamen statim poeta est nuncupandus. — Perperam igitur judicat *Cic. de orat.* I, 50. „Emperdoctem physicum egregium poema fecisse.“

quae de omnis orationis vi ac natura disputavimus, id omnium maxime tenendum est, propterea non statim vituperandum esse pedestris orationis scriptorem, si quas dictiones, figuræ, imagines, uno verbo eas adhibuerit loquendi formas, quas apud poetas imprimis quaerere et deprehendere consueti sumus. Fines enim utriusque dictionis finitimi sunt transitumque patiuntur liberum: illud primum est ac summum, quidquid peregrini atque insoliti admissum sit, cum ad totius scriptionis formam, tum ad singulas orationis partes esse accommodatum, nec quidquam admixtum, quod uti novum et inauditum, ita indecorum sit ornandique rationi adversum. Deinde hoc dandum quoque est, Platonem, quamquam philosophum, pedestris orationis fines, qui plerumque custodiri coepti sunt atque habiti prorsus sacrosancti, non minore audacia migrasse quam constantia, et in eum dicendi campum, quem soli fere poesi concessum nuncupant, saepenumero ita invasisse, ut qua valet ingenii volubilitate et sollertia orationem mirifice variatam et multiplicem fixerat eamque, quae plane abhorreat a vulgari consuetudine, in lucem protulerit. At neque hoc est negandum, talem tamque novo et insolito more ornatam Platonis orationem summam habere omnium membrorum proportionem et convenientiam, summum omnium numerorum et ornamentorum concentrum. Etenim sive ea, quae ad pedestrem, sive ea, quae ad poeticam dictionem referenda plerumque putant, sive externam, sive internam orationis structuram et compositionem spectaveris, ea omnia accuratius et inter se et cum toto cujusque libri argumento, dispositione, descriptione comparata vix dici potest, quam apta sint, quam concinna, quam suo quaeque loco attemperata et uno velut tenore conflata.

Itaque Plato neque pedestre dicendi genus, neque poeticum illud, neque mixtum quoddam, sed rectius veriusque mihi quidem dici sequutus esse videtur *genus orationis*, *ad artis speciem formamque accommodatum* h. e. pulcrum et elegans dicendi genus, in quo quidem nulla non nitet dicendi forma numeris suis expleta atque in suo quaeque loco tum ad rerum personarumque, tum ad totius argumenti rationes ita attemperata, ut nescio quid existat perfectum et absolutum, cuius varietate, venustate, concinnitate mirifice alliciaris atque tenearis. Unde factum est, ut quum summam dicendi vim ac pulcritudinem non nisi in *poetico* quodam furore iuvenisse sibi viderentur, hic Noster *poetica* solum quadam dictione tantopere capere et commovere diceretur. Sed quidquid ad pulcri effigiem arte perfectum est, eandem habet et excitandi animos et abripiendi vim.

Princeps ergo fuit Plato, qui pedestrem orationem ad perfectam artis seu pulcri speciem formamque ita conformavit, ut non in uno elocutionis genere, sed in omnibus pariter dicendi generibus eandem perfectionis expresserit effigiem. Habet enim ille summus, si quis alias, sive docentis, sive narrantis, sive oratoris, sive poetæ induerit personam, ejusdem semper praestantiae laudem, miram quandam et congruentem cum quavis et rerum et personarum proprietate et indole artem atque elegantiam. Vigent vivuntque omnia in Platonicis libris cum sua propria vi ac natura, tum eo quo apta sunt loco et ordine: ut prorsus illustre exhibuisse videatur exemplar perfectissimæ

illius orationis, quam ipse ait similem esse decere »animali alicui vel homini, cuius membra et justam habeant proportionem et apte inter se colligata sint atque connecta.«¹⁾ Quodque in eodem libro (Phaedr. p. 273. E.) tanquam summum artis oratoriae finem et consilium constituit, ut homini sapienti propterea tantum in hac arte omnis sit opera collocanda, ut *diis grata dicat faciatque*, id omnium sapientissimus suo ipsius exemplo egregie comprobasse putandus est. Ea vero elocutionis Platonicae virtus et mirificae formae quaedam absolutio et perfectio cernitur, ut, »si verbum aliquod demas mutesve atque id commodissime facias, de elegantia tamen detraxeris,« teste *Favorino* apud *Gellium*. N. A. II, 5.

En illam dicendi proprietatem, quae soluta legibus grammaticis suo ipsius ingenio movetur, quaeque, cum nihil habeat singulare ac proprium, summa est proprietas. Non est enim orationis cuiusdam efficta imago, sed viva velut ipsa, qualis in animo viget, oratio. Et haec est illa Platonis divinitas, quam ne mireris tot semper laudibus esse cumulatam. Namque tanta ejus est excellentia eloquendi et amplitudo, ut, cum multi ante et post eum iisque summi in dicendo magistri exstiterint, quorum in suo quisque genere perfectum quid et absolutum consequutus est, is unus omnium maxime uniuscujusque orationis praestantiam adaequaverit omniumque lumina suo ipse lumine obscuraverit. *Homerum praedicant Nostrum philosophorum*,²⁾ quod philosophorum summus sit. Quidni Homerus quoque dicendus est *oratorum*? Quemadmodum enim in Homeri carminibus omnia poesis jacta habes fundamenta et initia, ut instar sit omnium poetarum: ita Platonem dixeris et epicam et lyricam et dramaticam dicendi rationem miris modis copulasse, sive simplicitatem et suavitatem, sive varietatem et subtilitatem, sive granditatem et sublimitatem respexeris.

Haud multum quidem aberrarunt ab illa divinitatis laude veteres et Graeci et Romani scriptores, etsi laudibus magis ornasse, quam explicasse eam videntur. Constat enim, antiquos fere Platonis dictionem divinis laudibus affecisse et ejusmodi ferri effata hanc pauca, quale illud apud Ciceronem³⁾ (Brut. 31.): »Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem, aijunt philosophi, si graece loquatur, sic loqui.« Quod item me-

1) Plat. Phaedr. p. 264, C. ἀλλὰ τόδε γε οἷμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῶον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν, ὧστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπονν, ἀλλὰ μέσα τ' ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντι ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγαμμένα. Tria igitur sunt, quae pulchri ideam perficiunt: vivum, perfectum et harmonicum. πρέποντα ἄλλ. ad externam pulcritudinis formam referenda sunt.

Classicum hunc de orationis compositione locum respexisse videtur Aristoteles Poet. XXIII, I. (XXXVIII. Tyrwh.) οἵ δεῖ τοὺς μύθους, καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, συνισάναι δραματικούς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχονταν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵνα, ὥσπερ ζῶον ἐν ὅλον, ποιῆ τὴν οἰκείαν ἡδονὴν, δῆλον. Cf. interpretes ad Longin. X, 1. (ed. Morus) et Dionys. Hal. art. rhetor. c. X. §. 6. Tom. V. p. 381. Reiske. pag. 296. ed. Schott.

2) Cic. Tusc. disp. I, 32.

3) Eadem fere de Nat. Deor. II, 12: „Audiamus enim Platonem, quasi quendam deum philosophorum.“

morat *Dionysius Halicarnassensis* in *Judicio de Demosthene* pag. 177, C. 27. Sylburg. »ἡδη δέ των ἡκουσας ἐγώ λεγόντων, ὡς, εἰ καὶ παρὰ θεοῖς διάλεκτός ἐσιν, η̄ τὸ τῶν ἀνθρώπων κέχονται γένος, οὐκ ἄλλως ὁ βασιλεὺς ὃν αὐτῶν διαλέγεται Ζεὺς, η̄ ὡς Πλάτων.« A quibus haud fere dissentit *Quintilianus Institut. Orat.* X, 1, 81: »Philosophorum — quis dubitet »Platonem esse praecipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina »quadam et Homericus? Multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem »Graeci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur »oraculo instinctus.« cf. *Cic. de legg.* I, 22. II, 7.

Ut taceam de Hermogene,¹⁾ Demetrio Phalereo,²⁾ Maximo Tyro,³⁾ Longino,⁴⁾ Attico Platonico,⁵⁾ Themistio,⁶⁾ Theodoreto,⁷⁾ aliis, quorum cum suas quisque peculiares Platoni laudes tribendas censeat, omnes tamen in ejus εὐγλωττίᾳ, εὐφωνίᾳ, παλλιφωνίᾳ, εὐσομίᾳ, χάριτι τῇ ποιήσει ὄμοιᾳ, φυθμῷ, qui Homericu flumini comparandus sit, uno ore consentiunt ac plane conquiescunt. At hi fere in singulis, aut mira quadam vi et magnitudine grandis illius philosophi tacti et abrepti. Quare rectius mihi horum omnium laudes si non direxisse, tamen occupasse videtur sagacissimus ille et acutissimus judicandi magister Aristoteles, quem quidem Diogenes Laertius, siquidem fides huic auctoritati habenda est, tradit dixisse, *stylī Platonici genus medium tenere inter poema et pedestrem orationem.*⁸⁾ Non enim medium illud dicendi genus intelligendum est, sed nihil aliud in Aristotelico illo inesse videtur, nisi hoc, quod doctissimo cuique probabitur, Platonem tanta excellere eloquendi praestantia, ut, quae duo separata esse soleant dicendi genera, ea in unam orationem mirifice conflaverit.

Reliquum est, ut in *fontes* inquiramus, e quibus haec ipsa Platonis dicendi proprietas fluxisse videtur.

At hanc quidem ingenio deberi, cujus beneficio divina omnia continentur, manifestum id satis erit iis, qui, quo majora illa sunt, eo intentius ad ea studium contulerunt. Sed ingenium quoque via ac ratione progreditur, cujus vestigia si pressius indagaris, illud vix latebit, proprii quidquid in dicendo Platoni sit, totum id ad eam, *quam iniit, philosophandi rationem esse deferendum.*

Etenim quum non nisi duplex detur philosophandi ratio, altera, qua a principiatis ad principia, seu ab iis rebus, quae sensibus subjectae sunt, ad earum causas et sic pedentem ad summam causam regrediendo eveneris, altera, qua ab ipsis statim prin-

1) περὶ ἴδεων 2, 10. p. 480. Laurent. — 2) *Pseudodemetr. Ph.* περὶ ἑρμ: s. 37. ibid. s. 181. ibid. s. 186. ἀλλ' οἷον ὀλισθῷ τυρὶ ἔσικε τὰ κώλα, καὶ οὔτε μέτροις παντάπασιν, οὔτ' ἀμέτροις. — 3) *Max. Tyr.* dissert. 1, p. 2. s. Davis. min. — 4) *Long. περὶ ὑψους* s. 13, 3. Morus, aliisque locis. — 5) *Att. Platon.* apud Euseb. P. E. 11, 2. p. 509. s. Colon. — 6) *Themist. orat.* 15. p. 362. s. Petav. — 7) *Theodor. Ἑλλην, παθημα. Θεοπατ.* 1. p. 5. et p. 9. Sylb.

8) *Diog. Laert.* III, segm. 37. φησὶ δὲ Άριστοτέλης τὴν τῶν λόγων ἴδεαν αὐτοῦ μεταξὺ ποιήματος εἶναι καὶ πεζοῦ λόγου: quocum fere *Themistius* 1. c. πρὸς δὲ καὶ ἔτερα πάμπολλα ἐπεισηγήκατο καὶ εἰςγεγένεται λόγου ἴδεαν κερασύμενος ἐκ ποιήσεως καὶ ψιλομετρίας.

cipiis profectus deductis inde principiatis prodire ex causis jubes res finitas et ab infinitis (absoluto) ad finita progrediari: Plato eam quidem sequutus est philosophandi viam, qua ab ipsis statim summis progrederetur principiis h. e. ab aeternis illis semperque sui similibus rerum simulacris, seu *ideis*, ad quarum imitationem haec omnia, quae mutationi et vicissitudini sunt obnoxia, quasi expressa essent et ad quarum simplicitatem et unitatem tum veritatis tum virtutis ratio omnis revocari posset. Attamen hancce cogitandi sentiendique rationem ingressus non eam animo conceperat philosophiae rationem, qua in formam ac speciem disciplinae seu systematis, quod vocant, redigendam eam putaret, quaque ea, quae vera sunt, et necessitudine sua conjuncta et certo quodam ordine congesta ita conderentur, ut ex fundamento, quod superstructum singulis esset, apta fierent omnia et continentia, atque unum quoddam totum efficeretur, suis ipsius finibus terminatum, perfectum omnibusque numeris absolutum.

Imo ab hisce vinculis, quae *θάνατος εἰ ψυχῆς τε καὶ φιλοσοφίας* videbantur, summus ille intelligendi magister sapientiae disciplinam liberavit eique vitam quasi ac motum restituit.

Nimirum infinitum statuens philosophiae studium, quippe quae neque incipiendi neque disinendi certos haberet terminos, ut absolvit velut opus humanum et ad finem perduci unquam posset, divinam ejus vim ac naturam, quae nisi ex intelligentis indole prodiret, inanis esset, non extricavit solum ex errorum involucris, verum eliciendam quoque ex animi tenebris putavit ejusque sparsa in mente divinitatis semina suscitanda, alenda, fovenda, quae in ipsis hominum ingenii germinarent laetaque in perpetuum caperent incrementa. Non igitur philosophiae cujusdam descriptam finibus formam explanare, sed veram ipsam philosophiam, liberam omniq[ue] labore humana solutam, qualis illa vi sua vigeat interna, ex abditis mentis recessibus revocare, non certa sentiendi cogitandique decreta demonstrare, sed monstrare ac munire libere cogitandi et intelligendi viam, animumque, divinitatis amore imbutum, ad indefessum veri quaerendi investigandique studium excitare: id demum *Platonicum* est. Itaque in scriptis Platonis tantum abest, ut, quod apud nostros fere reperias, quae disseruntur, dilucidis ea explanata verbis argumentisque satis demonstrata habeas, ut eximium illud artificium conspiatur, quod prorsus accommodatum est ad agitanda, subigenda, acuenda ingenia, quaeque in intimo mentis recessu recondita sunt evolvenda.¹⁾ Etenim *dialectica* illa,²⁾ summa sane philosophandi ars et divina quaedam *ψυχαγωγία*, quae ab ipsis gravissimi magistri auctoritate nomen omne tulit ac famam, id maxime agit, ut implicatae ex hominum ingenii notiones evolvantur disserentiumque animi ad intuendas

1) Praeclare de hac Platonis disserendi ratione exposuit *Stallbaum* in disputatione, quae praemissa est Platonis dialogis sel. Vol. I. p. XXXIX. sqq.

2) Divinam dialecticae artis vim ac praestantiam cum alibi, tum egregie illustratam reperies in celeberrima illa oratione, quae Diotimae tribuitur: *Sympos.* inde a pag. 201. D. cf. *Phaedr.* pag.

ipsas ideas evehi discant et ad absolutas illas rerum formas valeant quid verum sit, quid falsum, suo ipsi ingenio exigere vitaeque hujus rationes componere. Itaque revera de coelo in vitam revocavit philosophiam et quamcumque divina sua natura in hac rerum vicissitudine expromat vim vitamque sapientis moderetur, lucidissimo ostendit exemplo.

Percipiendae igitur atque cognoscendae verae sapientiae ratio quum apud Platonem a summa arte profecta esset, ejus literis quoque tradendae ratio ejusdem artis formam prae se ferre debebat, quae altiora originis premeret vestigia.

Jamque satis inde patebit, quum ad humanae naturae captum philosophiae studia essent dirigenda, id aliter vix effici potuisse, nisi ea scribendi forma adhiceretur, quae *artī illi τοῦ διαλέγεσθαι* maxime conveniret atque ad vivi sermonis consuetudinem proxime accederet, *dialogus*. Qui etsi jam antea a philosophis erat frequentatus,¹⁾ tamen ut Platonicae illi dialecticae inserviret illustrandae et internum mentis veluti philosophantis effingeret colloquium, copiosius et ad vitae communis verisimilitudinem et ad subtiliora artis principia acutius erat revocandus et excolendus.²⁾ Nimirum quum secundum istam disserendi rationem ea, quae proponuntur, non nisi varia et personarum, quae colloquuntur, indole ac natura, et rerum, quae tractantur, mutatione et subtilitate explicari possent eximiamque imaginandi fingendique facultatem requirerent: tum talis sermo, ut ad excitandam ipsam idearum contemplationem earumque cum aliis communicandarum ardorem accendendum compositus, fieri non potuit, quin totus ad ipsius ideae seu optimae formae rationem exprimeretur ejusque plenam perfectamque redderet effigiem. Quid mirum igitur, si singuli quique Platonis dialogi, non ii solum, qui in summis philosophiae principiis et in ipsa idearum doctrina versantur, sed ii etiam, in quibus ad vitae humanae veritatem descenditur resque civiles tractantur, praestantissimum quodque artis opus exhibent, quod totum quoddam per se est atque ex omni parte absolutum?

Jam conferas tandem et externam et internam eorum formam: artis illius summae perfectionem et elegantiam nusquam desiderabis. Habet vero quisque sermo, quamquam neque a certo quodam quaestionis argumento progrediens, sed semet ipse ex se ipso explicans, ut casu velut ad summam rei delati interlocutores videantur, neque in absoluta quadam quaestionis parte desinens, sed ad altiora semper et ampliora, quae petenda sint, intendens, habet tamen summam omnium singularumque partium temperationem eamque omnium rerum consensionem, quae uni sermonis consilio et fini explanando optime conveniat. Et in interna sermonum forma num quid ad eandem elegantiam requires? Habet enim disputatio quaeque, quasi agatur res, initium, pro-

1) Primus dialogos scripsisse fertur, quem supra laudavimus, *Alexamenus Teius* teste Aristotele in libro περὶ ποιητῶν, cuius locum servavit *Athenaeus* XI. p. 378. Tom. IV. Schweigh. Diog. Laert. III, 48. *Zenonem Eleatem* principem citat Diog. Laert. III, 47. cf. Aristot. *Sophist. Elench.* 10,

2) De *Epicharmo*, quem hanc in rem afferunt, non item valet testimonium Diogenis Laert. III, 14.

2) Diog. Laert. III, 48.

gressum, digressiones, exitum, ac pro rerum personarumque varietate et finis summi subtilitate fabulae vel tragicae, vel comicae, vel satyricae speciem atque veritatem.

Ex quibus clarissime illud quoque elucebit, quod valere maxime ad genus dicendi videtur, unde factum sit, ut, quemadmodum in carminibus epicis et omnino in praestantissimo quoque vel carmine, vel artis opificio ipsius poetae persona prorsus occultatur, ita in Platonicis dialogis, ad artis elegantiam conformatis, ipsius philosophi persona nusquam appareat colloquentesque ex suis ipsorum moribus et ingenii disserere fingantur. Quocirca, ut hoc obiter addamus, quid ipse de qua re senserit Plato, diserte nusquam indicatur; cumque princeps quaestio in varias versetur partes, ex variis disserentium sermonibus, qualis illa sit quoque tendant omnia, eruendum est. Quid? absoluta totius dialogi lectione, ac disputationis ortu et progressu, denique omnium partium concentu diligenter considerato saepissime neque ipsius Platonis veram certamque tenebis opinionem, neque omnino, quid verum sit, continuo statues, sed senties aculeum quendam dubitationis in animo relictum, qui stimulet pungatque vehementius ad flagrantissimum veri querendi studium. Scilicet artem celare et dissimulare etiam in hac re summae artis est.

His igitur, quae de Platonica philosophandi ratione disputavimus, uno quasi obtutu comprehensis facile est ad intelligendum, Platonis, qui subtiliorem philosophiae ejusque tradendae mente conceperat notionem, *subtilius* quoque *dicendi genus* adhibendum fuisse, quod a vulgari orationis consuetudine longe abhorreret. Haec autem subtilitas, quum et rerum materia et forma dicendi apud optimum quemque scriptorem arctissime semper cohaereant, non alia esse poterat, nisi quae dialecticae illi optime congrueret. Quae quidem ars quum in investigando vero et pulcro ejusque sensu in aliorum animis concitando cerneretur, fieri non potuit, quin ipsa oratio ejusdem artis colorem teneret eamque omnino indueret formam, quae ad excitandos, agitandos, inflammados animos esset aptissima.

Inde prodiit illa elocutionis gravitas, granditas, sublimitas, quae per omnes orationis partes diffusa divinioris cuiusdam habet venustatem et delectationem, quamque cothurno fere sonoque tragico comparandam non immerito existimarunt. Inde prodiit illa ubertas et amplitudo, quae tam late patet, ut quot excogitata jam sunt quotque unquam excogitabuntur a grammaticis dicendi genera, tot fere apud Platonem reperias.

Dialogus autem cum suapte natura ad ipsam humanarum rerum veritatem referretur, tum ad hominum vitam, qualis illa aetate erat, aliorumque et sophistarum et philosophorum placita, opiniones, mores, ingenia esset conformandus et instruendus, tum vividam cogitationum in animo sese volventium gignentiumque tanquam imaginem exprimeret: quid mirum, si oratio, quae ab aliis philosophis vita quasi et spiritu erat orbata, apud Platonem, qui tantarum rerum effingeret similitudinem, *vividissima ipsa* fieret ac velut animata clarissimisque similium et imaginum luminibus distincta? Quid mirum, si cum pro altissimo Graecorum libertatis studio liberius servili grammaticorum iugo excusso vagaretur, tum maxime pro varia colloquentium indole, disciplina, studiis,

varie si unquam ulla copioseque funderetur, tum denique in tanta rerum abundantia omnem sibi assumeret elocutionis licentiam, omnem capesseret ornamentorum ubertatem? Jam fingas tibi Graecos homines, tanta illa ingenii felicitate praeditos, ad animum recreandum congregatos, nonne sponte genio indulgebunt, facete, festive, acute loquentes? Quid? si tales homines de summis rebus conserunt sermones, num depoñere poeticum illud ingenium poterunt, in vulgarem vitae consuetudinem delabentes?

Hanc autem dicendi artem et copiam cave ne in uno dicendi genere quaeras. Ars enim, quod supra demonstravimus, cum nullis circumscripta sit finibus, neque habeat, quod respuat, eandem admittit vim et perfectionem in humilioribus, in mediocribus, in gravissimis rebus: descendit oratio ad rerum simplicitatem, assurgit ad rerum gravitatem, intenditur ad fortiora, ad tenuiora remittitur, cum eadem semper artis praestantia. Quae quum ita sint, ne quaeras, quaeso, quid sit quod Plato sermonum formam tanta ingenii alacritate et acumine fixerit, tantas doctrinae copias atque divitias in iis recondiderit, tantam denique dicendi varietatem, ubertatem, sublimitatem iis adsperserit. Cuncta cum eo, quem verae philosophiae subjunxerat, fine ejusque tradendae ratione arctissime cohaerent et artis quadam necessitate sunt praecepta, ut, aliter qui fieri possint, prorsus non intelligatur. In tanta rerum orationisque mutatione et variatione, qua misceri omnia sursumque deorsum ferri videntur, summa est, modo altius in intima sermonis arcana penetraveris, et argumenti et dictionis concinnitas, summa omnium singularumque partium proportio et temperatio: nihil putidum, nihil frigidum, nihil inepte dictum: habent sua quaeque, ex quibus apta sint, quibuscum conspirent: quaecunque dicendi genera nitent, non sine lumine nitent: omnia inter se amica quadam consensione ita concordant, ut ea ipsa, quae non congruere statim videntur, aut continuo cum proximis congruant, aut gratae cujusdam negligentiae commendationem habeant et delectationem.

Ac si quis hujus artis praestantiam summi non nisi poetae esse contenderit, ei nequaquam refragabimur, modo vocis *poësis* et *poëlae* significationem latiore sumserit sensu, ut ex vocabuli *ποιεῖν* (*ποίησις ποιητής*) origine non *faciendi*, sed *procreandi*, nimirum *pulcri*, vis repetatur.¹⁾ Revera enim, quod supra jam attigimus quodque maxime valere videtur ad hoc singulare Platonis dicendi genus rectius et expediendum et intelligendum, *poësis* et *philosophia*, seu philosophandi ars, ex sensu Platonico constituta, *summam inter se habent affinitatem et necessitudinem*.

1) *ποιεῖν*. De latissima hujus vocabuli significatione conferendum imprimis est *Plat. Symp.* p. 196.

E. sqq. quo loco quum Plato *ποίησιν* de cuiusvis generis procreatione et generatione dixisset, poësin, quae in carminibus pangendis cernitur, *ποιησιν τὴν κατὰ μονστικήν* commenmorat. Et ibidem p. 205. B. οἵσθ' ὅτι ποίησις ἐσὶ τι πολύ. ή γάρ τοι ἐν τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ ὅν ἴσχυτι ὀπωδοῦ αἰτίᾳ πάσσι ἐσὶ ποίησις, ὥστε καὶ αἱ ὑπὸ πάσσαις ταῖς τέχναις ἔργαισι ποιήσεις εἰσὶ καὶ οἱ τούτων δημιουργοὶ πάντες ποιηται. Quapropter saepe in universum scriptor ποιητής sc. λόγων a Platone dicitur. Vid. *Phaedr.* pag. 234. E. ibique *Heindorf.* ibid. p. 236. D.

Utraque enim gignit procreatque, ut cum Platone loquamur, ex pulcritudine pulcrum¹⁾ atque singit quaelibet ad pulcritudinis summae formam: utraque ex sublimiore ideae contemplatione profecta, ad ejusdem summae perfectionis imaginem, s. ideam, animos vel legentium, vel audientium traducit et ad infiniti cujusdam divinitatem, ad quam enititur homo excelsus, intuendam penitusque imbibendam incendit. Utrique enim tanquam summum, in quo confluant, id propositum est, ut universitas rerum, quae sub sensu cadunt, cogitatione et mente comprehendatur et ad optimae speciei similitudinem quasi refingatur.²⁾

Neque igitur artis ratione, neque dicendi aut materia aut licentia poeta a philosopho disjungitur, sed ambo non nisi eo differunt, quod ille strictiore habet et tradendi et dicendi ambitum, hic ampliorem, philosophusque ipsas mentis notiones summasque ejus formas et species explicat, poeta ad sensu easdem revocat. Namque poeta ideae cujusdam vi perfusus atque excitatus ex rerum, quae sensibus subjectae sunt, abundantia imagines, similia, translationes aliaque hujusmodi ornamenta componendo simulacrum quasi proereat ejusdem ideae, quippe quae appareat et sub adspectum veluti veniat, ut per involucra harum rerum altiora quaedam, ideam ipsam, perspiciamus in eaque contemplanda delectemur. Eadem ratio cujusque verae artis obtinet.³⁾ Poeta

1) Plat. Sympos. p. 206. B. τόνος ἐν καλῷ.

2) Non obloquemur, si quis dicat, poetam imitando effingere rerum universitatem ad pulcri, philosophum ad veri perfectam speciem, quum pulcritudo forma quaedam sit veri neque existat, nisi quatenus id, quod verum est, appareat. — Vide quam mire in sua uterque arte conspirent Schellingius, philosophus si quis alias, et Ruckertus, summus aetatis nostrae lyricorum: quorum tamen neutrum ab alterius disciplina prodiisse, sed totum utrumque ex sese aptum fuisse satis constat. — Quam facile autem supra prosam surgat philosophus, ideae cujusdam vi perfusus, vereque poetica incedat sublimitate, cum ex multis ejusdem Schellingii aliorumque scriptis, tum ex Fichtii libris, „Appellation an das Publicum sc. et Unwesung zum seligen Leben“ inscriptis, dilucide perspicias.

3) Valeret igitur maxime, si descriptione esset tanta ars definienda, Aristotelicum illud: poesin in universo esse μίμησιν, modo intelligeretur τοῦ καλοῦ. Arist. de art. poet. II. Bipont. Ἐποιεῖ δὴ καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις, ἔτι δὲ καὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη καὶ πιθανοτάτης πᾶσαι τυγχάνοντιν οὖσαι μιμήσεις τὸ σύνολον. Ergo quae Aristoteles de poesis generibus tradit, ea nimirum imitatione contineri, de *lyrica* quoque valere voluit, quod quidem ex iis, quae Problem. XIX, 15. docet, luculentissime patet. Alia Platonis probatur sententia, qui quidem imitationis vim solummodo tragediae atque comoediae subesse dicit, de aliis autem poesis generibus idem aut ex parte aut omnino negat. Conf. quae paulo infra allata a nobis sunt loca ex libris de *republica*: adde quae exstant de Legg. II. p. 65. sqq. et p. 96. sqq. Non reticendus est Plutarchus (de aud. poet. p. 62. ed. Reiske), qui Aristotelem sequutus poeticam vocat τέχνην μιμητικήν habetque celebratissimum illud et ingeniosissimum Simonidis, cuius fertur, dictum: Ζωγραφίαν μὲν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν: quod his verbis laudatur a Cicerone ad Herenn. IV, 28: „si poema loquens pictura est, pictura tacitum poema debet esse.“

igitur totus est in constituendis, componendis, adornandis singulis iisque praecipue rebus, per quas exsplendescat ideae quaedam species; eique omnis conceditur externi ornatus elegantia, tanquam unius illius ac singularis ideae tegumenta, quo facilius percipi ab omnibus possint carmina et cum summa animi aurumque voluptate sine labore delectent.¹⁾ Et hanc ob rem *vincta* fere apud poetas orationis licentia est, sed suis ipsius finibus vincta, quippe quae omnem quidem et inventionis et dictionis adhibeat ornatum, metricae tamen legibus, versuum modis concisiorique verborum sententiuarumque numero adstricta, ad illustrandam unius ac singularis cujusdam ideae pulcritudinem.

Philosophus contra in altiore quasi loco constitutus latiorem amplioremque circumspicit campum.²⁾ Rebus enim, quae mutationi et vicissitudini obnoxiae sunt, posthabitibus quum ad ea, quae stabilia sunt et perpetua, ad ipsas statim ideas escendat: elicit provocatque ex animis hominum non unius pulcritudinis cujusdam speciem, sed omnium idearum conscientiam earumque consensionem, quamque technici vocant unitatem: ut cum eodem abrepti ad ipsam idealem, ut ita dicam, vitae intuitionem emergamus atque

1) Ne quis nobis objiciat: quid? idem ille poeta philosophorum nonne ex ea, quam sibi fixerat, *perfecta civitate* ipsos poetas, utpote μητικούς tertioque gradu a veritate distantes (*de republ. X.* p. 602.) exterminavit? *ibid.* p. 605. A. Non exterminatos scilicet voluit istos ex civitate sapienter instituta, sed duntaxat *cum cautione* ferendos. Neque omnes omnino rejecit poetas, sed *mimicos* istos, qui speciem pro veritate venditarent sensusque leviorum hominum permulcerent voluptatis blanditiis — ήδυμένην μούσαν i. e. dulciculam, voluptatis ministram: *ibid.* p. 607. A. Non ita mira ea res videbitur iis, qui meminerint, Platonis aetate poetis nimum quantum tributum esse auctoritatis, ut omnem sapientiam ab eorum effatis repetendam esse censerent: id quod ex ironia, qua cum aliorum poetarum dicta, tum versus Homericos Plato in suam rem laudat, facillime cognoscitur. Caput rei hoc est, *philosophia* quum summa sit scientia, *philosophum* quoque optimum sicut artium omnium, ita universarum hujus vitae rerum esse debere moderatorem: cavendum igitur esse, ne *poeta* civitati moderandae praeponatur, cuius muneris honor non nisi sapientissimo cuique s. philosopho debeatur. Hanc ob rem omnia ista contra poetas disputata sunt, cf. *de republ. II.*, p. 362. E. sqq. *III.*, p. 386. A. sqq. *Apolog. Socr.* p. 22. Eadem fere sententiam Plato defendit *de Legg. II.*, p. 658. E. sqq. quo loco in civitate bene morata quidlibet *tingendi licentiam* coercendam arbitratur, id quod in Aegypto fiat, ubi *poetis, musicis, pictoribus*, aliis certae leges scriptae sint, quas violare nefas habeatur. cf. *Stallbaum ad Plat. rempl. p. XXXV.* — Simili fere ratione disputat noster in *Phaedro* p. 275. D. sqq. de quavis *scripta oratione*, qua nihil ait gravius esse vituperandum, quippe quae egregie sileat, si quid ex ea rogaveris: *vicum* igitur *sermonem* a philosopho esse exercendum. Sed fusius ea hic explicare longum est. Sensus in hisce locis in universum hic fere est: sine philosophia nullam artem neque oratoriam neque poeticam aut fingi posse aut cogitari.

Quid Plato revera de divinitate *poesis* senserit, satis perspicuum est ex *Sympos.* pag. 209. D. sqq. et *Phaedro* p. 245. A. cf. *Io.* p. 531—534.

2) „*Philosophi, qui omnia, sicut propria, sua esse atque a se possideri volunt.*“ *Cic. de orat. I.*, 50.

in tanta contemplandi sublimitate omnium harum rerum principibus causis et rationibus perspectis eandem in hac vita et cogitandi et agendi pulcritudinem et unitatem effingamus.

Philosophia igitur complectitur una poesis spatia atque palaestras. Etenim cum contemplatio idearum, qua illa gaudet, poetica tanquam sit animi temperatio, ipsa compellit ad procreandum (*ποτεῖν*) pulcrum, atque efficit ita revera quasi *poetas*, non illos videlicet solos, qui modum atque harmoniam versuum affectant, verum illos etiam, qui modum atque harmoniam cogitandi et agendi omninoque hujus vitae sapientius insti-tuenda concentum enixe curant.¹⁾

Quod item ipsis verbis expressit Plato, cum philosophiam μεγίσην μονούκην i. e. *musicam longe praestantissimam*, summam Musarum artem appellandam putaret, quod sapientiae vitutisque veluti musicae quodam concentu atque harmonia con-tineretur. Poesin autem, quae vulgo sic dicitur, idem ille δημάδη μονούκην h. e. *popularem musicam* nominat, nimirum ob concentum versibus adstrictiorem, qui fa-cilius a vulgo percipi posset, quique, cum etiam indoctorum auribus et ingenii consuleret, in plebis animis idem valeret, quod absolutior ille in sapientioribus.²⁾

Itaque philosophia cum ars sit omnium praestantissima, poesique multo la-tiore, imo latissimum obtineat ut intelligendi, ita dicendi campum: *numerum* sane adhibet, non *vinctae* tamen illius orationis versuumque strictiorem, sed solu-tiorem, fusiorem, sublimiorem, quem non captant vulgares statim aures, ut modos musicae, sed teretes fere aures, subtiliori artis pulcritudinisque sensu imbutae. Neque injuria contendi id poterit, veros philosophiae orationis numeros, arte compositae, longe difficiliores et ad inveniendum et ad enuntiandum esse, quam poeti-cos istos, strictioribus pedum, versuum, modorum finibus adjutos atque levatos.

Fieri igitur non potuit, quin Plato, qui philosophiam tam arce cum poesi

1) cf. de repub. libri VI. extrema et libr. VII. init. ac Philebum, cuius fere argumentum eo reddit, ut vitam humanam ad summi boni speciem esse regendam paeclare demonstretur.

2) Plat. *Phaedon*. p. 61, A. — de *Rep.* VIII, p. 548, B. διά τὸ τῆς ἀληθινῆς μονούκης τῆς μετὰ λόγων τε καὶ φιλοσοφίας. Quare vere sapiens κομιδὴ μονούκος-ἀριστονέας καλλίσην ἡρμοσμένος Lach. p. 188 C. itemque *sapientia* ἡ καλλίση καὶ μεγίση τῶν ξυμφωνιῶν de Legg. III, p. 689 D. 691. A. 696, C. — Conferendus est Strabo X, p. 717, B. μονούκην ἐκάλεσεν ὁ Πλάτων καὶ ἔτι πρότερον οἱ Πυθαγόρειοι τὴν φιλοσοφίαν. *Sextus Empir.* adv. Mus. p. 353 οἵ τε μέγα δυνηθέντες ἐν φιλοσοφίᾳ καθάπερ καὶ Πλάτων, τὸν σοφὸν ὄμοιόν φασιν εἶναι τῷ μονούκῳ τὴν ψυχὴν ἡρμοσμένην ἔχοντα. Hinc (σοφός) σοφία de quavis arte Symp. p. 196, E sqq. Quantumque olim apud Graecos omnia, quibus exqui-sitionis quaedam scientia sapientiaque cernebatur, sermone ad cantum formato certisque numeris adstricto traderentur: ex antiquissimis inde temporibus ὀιδοί iidem dicebantur σοφοί: *Anacreon* Od. 52, 23. (Callimach. Epgr. p. 50, 4.), σοφισαι (Pind. Isthm. V, 36.) — σοφία de poesi Callim. Ep. 8, 4 A. 49, 4. cf. *Menag.* ad Diog. Laert. T. II. p. 9. Jacobs. Animadv. in Eurip. p. 188. — Poetas non raro apud Romanos absolute *doctos* esse appellatos nemo ignorat. cf. Horat. Od. I, 1, 29 ibique interpres.

conjunctionem et connexam traderet, priusquam ab Aristotele a limpido suo fonte deducta atque in horridam disciplinae formam esset redacta, amplius quoddam ac prorsus singulare dicendi genus excoleret, quod ab artis via ac ratione profectum vim ac naturam tum *philosophiae* tum *poesis* eadem necessitudine complectetur, qua in ipsius auctoris ingenio utraque ars consociata erat et copulata. Id quod ipsa philosophiae a Graecis cultae et origine et progressione comparatum ac praeparatum paene est. Plato enim medium fere tenet inter priores philosophos, poetico numero incedentes, et eos, qui postea philosophiam pedestri oratione tradebant. Minime igitur, quod poetas diligenter lectitaverit et ipse juvenis multam pangendis carminibus tribuerit operam, tanta ille abundat poeticae dictionis praestantia, sed quod revera poeta esse isque eo luculentior esse et volebat et debebat, quo flagrantiore verae philosophiae exardesceret studio.

At habet vero philosophia ex iis, quae supra dicta sunt, poesin sui ministram atque adjutricem. Unde illud etiam apertum est et perspicuum, cur Plato non raro ad ipsam poesin descenderit ejusque subsidia in philosophiae usum advocarit. Etenim cum vidisset, multa ita esse comparata, ut pro subtilitate ac sublimitate explicari vel acute, vel dilucide illustrari nequirent, nisi prorsus deleta sincera eorum natura: satius faciendum duxit, si tot tantaque, quorum intelligentia captum humanum superaret, poetarum instar aut mythorum (*μύθων*) involucris aut allegoriarum pigmentis circumscribere potius, quam concipere obscuritate notionum videretur eorumque tanquam speciem leviter adumbraret.¹⁾ Atque in illis quidem, quae conjectando magis quam disserendo possent illustrari, cum omnem omnino humanam orationem exiguum satis et vilem esse argueret: tum imaginandi facultas quomodo menti in vero investigando veluti hebescenti succurrere soleret, ut altera alterius vi polleret partesque invicem in se susciperet, praecclare ostendit. Tum vero exsplendescit illa ingenii ubertas atque granditas, quae cum in fingendarum rerum mirabilium similitudine, varietate, splendore, audacia, tum in earundem enarrandarum perspicuitate, copia, venustate singularis prorsus est atque eximia. Tum profecto oratio nulla aut ornamentorum aut luminum caret pulcritudine, supra prosam assurgit ad poesis elegantiam.

At vero quis hacce poeticarum digressionum amoenitate et festivitate non delectetur? aut quis inani eas esse ingenii lusu excogitatas, non exsuperantia quadam altitudinis conformatas dixerit?

Attamen ea ipsa, quae poetico dicendi genere enuntiata esse videntur, cavadum probe est, ne omnia proprie sic dicta arbitreris. Etenim saepissime philosophorum poeta nimiam dicendi profudit audaciam, atque inanem poeticorum flosculorum ornatum fucatumque orationis fastum et tumorem imitatione ita expressit,

1) Cf. quae bene de hoc fabulosarum narrationum usu docuit Stallbaum ad *Plat. Phaedon.* p. 107. D. — Eberhard über die Mythen des Plat. Verm. Schrift. Halle.

ut quae alii vel poetae, vel rhetores captarent omnis generis artifia, ea ludendo ridendoque perstringeret, qualisque eorum esset vilitas, proderet. Cujus simulationis innumera sunt exempla. Haec igitur ubi in suo quaeque loco conferuntur, major etiam ingenii sollertia in eo cernitur, quod, quum dicendi genus ad ridendum comparatum sit, tamen idem illud ipsi argumento atque rebus praecclare est attemperatum. Eo magis in his quoque dolendum est quam magnus sit hominum doctissimorum error. Verum enim vero fieri solet, ut, si qui invenerint, quae a sua sentiendi cogitandique consuetudine recedant, non haesitent solum in iis, sed damnare etiam, quod non ceperint, audeant. Quocirca facile intelligitur, quo allegandi sint ii Platonis obstrectatores, qui, quum nescirent, quo summa artis praestantia contineretur, poeticum illud temere in reprehensionem vocarint.

Ac horum agmina quasi dicit *Dionysius Halicarnassensis*, severus ille quidem, neque insulsus passim orationis existimator, idem tamen a grammaticorum disciplina profectus, atque ingenio optimarum artium studiis non satis subacto ipsiusque divini Platonis de pulcro praeceptis perpolito. Is enim, ut non nisi unum proferamus locum, cum in *epistola ad Cn. Pompejum* (pag. 127. Sylburg.)¹⁾ praecepsisset, Platonis elocutionem ex utraque dicendi forma ex tenui et sublimi temperatam esse, cumque alteram mirifice laudasset, ut vix posset dici, quam suavis et humana, quam pura esset et dilucida, in quam etiam antiqua illa jejunitas et simplicitas sensim atque latenter incurreret et jucundum quendam ac tempestivum ederet florem: facere tamen non potuit, quin continuo contraria paene iis, quae modo concesserat, accumulando hoc alterum genus sublime prorsus eidem denegaret quamque laudis palmam copiosius ei tribuerat, eandem fere invidiosius praeripperet. Nimium enim philosophum saepius assurgere incitatiusque elatum immenso quodam impetu ferri, vanas orationis divitias ostentare, inversiones affectare longe petitas, translationes, figuræ ad satietatem accumulare, poetae quam scriptori similiorem, obsoletis, novatis, peregrinis intempestive ac nimis pueriliter gloriantem. At profecto ex suo ille more et ingenio agit: in singulis, ut fit, haerens nihilque morans, quam apta ea rebus locisque accommodata videantur, cum principe totius sermonis consilio comparata, sed tanquam e tripode dictitans, quae poetam deceant, ea prorsus dedecere oratorem. Itaque si quis vario hoc ac perpetuo poeticae dictionis studio offendatur, revera cum Dionysio non videt, quantum in Platone fuerit ingenium, ad cujus sublimitatem paucis nec nisi initiatis descendere licet.

De aliis, qui eadem fere vestigia pressisse videntur, tacebimus. *Longinus* vero nominandus est, quem quidem, quum fusum Platonis ac placide profluens dicendi genus, in quo cum ipso Homero certamen inierit, satis laudasset neque eundem sublimem quoque negasset (Segm. XIII. ed. Morus), cum iis tamen ajunt fe-

1) cf. *Dionys. de admir. vi* dic. in Demosth. p. 166. et 177. Sylb. Tom. VI. p. 759 etc. 965. 1056. Reiske.

cisse, qui philosophum divinum saepe quodam quasi furore dicendi abreptum ad immoderatas durasque metaphoras et strepitum allegoriarum delapsum traducerent. (ibd. segm. 32. 7.)

Quem si ipsi inspessissent locum, non ita temere erassent. Longe aliter res se habet: et est mirum sane, nunc quoque haud paucos existere, qui hanc de Platone sententiam *Longino* tribuant, quum tamen Longinus Caecilius¹⁾, rhetoris cuiusdam Siculi familiarisque Dionysio Halicarnassensi, proferat reprehensionem, quid ipse senserit, non reticeat. Nec fere memini obvenisse mihi locum, quo Longinus, qui totus fere est a Platone et Demosthene, summum philosophum verbis notaverit: nisi forte trahere huc velis segm. IV, 6., ubi frigida quaedam dicendi figura ex libris de Legibus notatur addito tamen admirantis testimonio: τι δὲ ὁ τάλλα θεῖος Πλάτων; Alibi enim segm. 29. aliorum afferit sententiam. Neque aliter Longini ingenio placuisse verisimile est. Etenim etsi Longinus Ammonium Saccam, Originem, Ammoniique discipulum Plotinum, quorum se potissimum disciplinae tradiderat,²⁾ permagni faceret, non tamen iccirco putandus est, per omnia illos sequutus esse: neque mysticam et allegoricam suae aetatis interpretandi rationem inibat, sed genuinos antiquorum philosophorum, maxime Platonis fontes consectandos putabat. Quam vere autem et subtiliter non solum de rebus, sed de verbis etiam scribendique elegantia, a qua spectari Plato voluit, judicaverit: cum ex libris, qui supersunt, de *sublimitate* perspicuum est, tum maxime ex commentariis ad Platonem interpretandum comparatis, quorum fragmenta ab Olympiodoro et Proclo passim citantur. Ex quibus conferenda in primis ea sunt, quae laudat Proclus pag. 19. ad Plat. Tim. p. 523 A. ubi contra eos disputat, qui Platonis elocutionem negant ab arte profectam esse: ἐνδεικνύμενος (*λογγῆνος*) εἰς τινας Πλατωνικούς, ἀντοφυὴ τὴν ἔμηρείαν ταύτην, ἄλλ’ οὐκ ἐπ τέχνης πεποιημένην τῷ φιλοσόφῳ λέγοντας. εἶναι μὲν γὰρ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων πεφροντισμένην τῷ Πλάτωνι καὶ οὐ κατὰ τὸ ἐπιτυχὸν ἐκαστα λαμβάνειν αὐτόν. ἄλλα τοῦτο μὲν εἴποι ἀν τις ἀπὸ τῆς κοινῆς τῆς τότε καὶ συνήθους ἔμηρειας ἥκειν καὶ εἰς ἀντόν. πολλήν δὲ αὐτόν ποιεῖσθαι καὶ τῆς συνήθους προμήθειαν. Θάττον γὰρ ἀν τὰς ἀτόμους Ἐπικούρου συνελθούσας ποιῆσαι κόσμον, ἡ ὄντως τοιούτης συγκείμενα καὶ φύματα λόγον κατωρθωμένον. Πλάτωνα δὲ ἐν μὲν τῇ χρήσει τῶν ὀνομάτων ἡτιάσαντο τινες, ὡς μεταφοραῖς (κατακόρως) χρώμενον· περὶ δὲ τὴν συνήθητην ἀπαντες θαύμαζοντις. ἄλλ’ δμως οὐδὲ ἐπ ταῦτης μόνον ἀν τις λάβοι τὴν περὶ τὴν ἔμηρειαν αὐτοῦ φροντίδα, ἄλλα ἐπ τῶν τοιούτων ἐπιτρέψεων, οἷαν ἐν τούτοις ἐπιδείκνυται· οὐ γὰρ ἀπλῶς λέγει ὁ Σωκράτης ὃ ποθεὶ γενέσθαι αὐτῷ παρὰ τῶν ὀμφὶ Τίμαιον, ἄλλ’ ὥραιζομένῳ πως ἔποικε καὶ ψυχαγωγοῦντι τὸν ἀρροστήν.³⁾

Recentiorem hominum perversam hac in re discrepantiam si quem nosse jucvat, is adeat Meinersii Geschichte der Wissensch. in Griech. u. Rom. Vol. II. p. 692 etc.

1) De quo nuperrime copiosius disseruit Osann in libro acuminis pleno: „Beiträge zur griechischen und römischen Literaturgeschichte“ (1835) I. Bd. S. 285—312, 2.“ 2) Long. fragm. V, 3. ed. Morus.

3) cf. Ruhnken, in disputatione de Longino: opusc. Vol. II. p. 420 etc. ed. Friedemann.